

dein in fine Psalmi vel etiam totius Horæ ad-
vertat se fuisse distractum , nihil curet , nec
repetat , sed iterum ad attendendum mentem
applicet , ac prosequatur ; imo iis , quibus
recitatio Breviarii graves causat anxietates , po-
test Confessarius consulere , vel etiam jubere
ad aliquantulum tempus omissionem Horarum ;
probant enim aliqui doctores factum cuiusdam
Confessarii , qui frustra tentatis aliis remediis ,
simili pœnitenti pro salutari pœnitentia injun-
xit , ne imposterum quidquam repetat ; quo
adminiculo adhibito scrupulosus curatus
fuit. Quibus omnibus expensis bene ad-
verti potest cum Lessio : quod non sit diffi-
cile Horis Canonicis satisfacere , quia Eccle-
sia nihil aliud requirit , quam ut animo DEum
laudandi sacram illam Hymnodiam recitemus ,
nec quidquam profanum voluntarie animo vol-
vamus ; **ideoque vulgatus Titinillus** nil ultra
habebit apud Clericos ex Horis Canonicis ,
quam apud quoscunque alios ex precibus ex.
gr. a Confessario pro pœnitentia injunctis ,
vel ex voto debit is , in defectuum collectione
fatigari .

Dixi 3. *Per notabilem partem , quamvis ex pluribus Horis computatam* ; quia si aliquis ex.
gr. in Matutino per duos Psalmos , in Laudi-
bus iterum per unum vel alterum , atque ita
successive in tanta Divini Officii parte sit **di-**
stractus , quæ æquivaleret uni Horæ Canoni-
cæ , graviter peccat ; sicut enim ex. gr. & ille ,
qui in pluribus horis partem levem omitteret ,
quæ